



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De Illiteratis, & no[n] habentibus certum titulum prouisionis, non  
ordinandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

character imprimetur, & ordinatus tenebitur voto castitatis. *cap. cum dilectus. de his qua. vi. met. cit.* Quod si coactio fuerit absoluta & reclamatio absoluta, ita ut ponatur ob ex contrariae voluntatis, nec character imprimitur nec ordinatus recipit ligamē ordinis. *c. de Iudais. 45. dist. cit. c. ubi iste. 74. dist. c. maiores. de baptisf.*

Ex causa tamen posset quis cogi ad suscipiendum Ordines, ut si obtineat beneficium requirens certum aliquem ordinem, talis enim cogi potest saltē subtractione fructuum, priuatione beneficij, vel similibus ad susceptionem ordinum beneficio suo annexo. *c. licet. Canō. §. quod si. de elect. in 6. Clem. ut hi qui de atar. & qual. Abl. in c. quaris. nu. 6. eod. tit.*

## ARTICVLVS VII.

### De illiteratis & non habentibus certum titulum non ordinandis.

- 1 **L**iteratura qua requiratur in promouendis ad ordines.
- 2 *Scientia non praesumitur nisi probetur.*
- 3 *Ministrans in ordine quem non habet efficitur inhabilis ad ordines.*
- 4 *Ordinari nemo debet sine prouisione sufficienti.*
- 5 *Ordinatus sine prouisione quas penas incurrat.*
- 6 *Episcopus tenetur de facto excommunicatorum suorum.*
- 7 *Episcopus quando non teneatur ad prouidendum ordinato sine prouisione.*
- 8 *Ordinans & ordinatus cum pacto de non petenda prouisione quas penas incurrant.*
- 9 *Regulares non professi non possunt ordinari sine prouisione.*
- 10 *Soc. Iesu patres censentur professi, licet tantum vota tria simpliciter emisissent.*
- 11 *Ordinari an quis possit ad titulum Vicariatus seu beneficij manualis.*
- 12 *Beneficium ad quod quis ordinatur renunciari non potest.*
- 13 *Ordinari quomodo quis possit ad prouisionem patrimonij.*
- 14 *Ordines minores conferri possunt non habentibus prouisionem.*

1. **I**lliterati prohibentur ordinari. *c. illiteratos. 36. dist. c. fin. de atar. & qual. & censetur irregularis illiteratus. Suarez. de cens. disp. 51. sect. 1. num. 8.* Diuersa autem literatura secundum ordinum diuersitatem requiritur. Et ad primam quidem tonsuram ordinandus, sufficit si sciat fidei rudimenta, legere, scribere. *Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. de ref.* Ad alios minores ordines promouendi, latinam linguam intelligere debent. *ib. c. 5. & 11.*

Ad sacros maiores ordinandi, scire debet ea quae exercendo eorum ordini sunt necessaria. *Conc. lo. cit. cap. 13.* Ad praesbyteratum talis scientia requiritur, ut ordinatus Sacramenta administrare, & populum in his quae ad salutem scitu necessaria sunt instruere valeat. *id. Conc. lo. cit. cap. 14.* maximè verò si ordinatur ad bene-

beneficium seu officium habens adnexum exercitium curæ animarum, alioquin enim promouendus ad aliquod simplex beneficium admitti posset ad ordinem præbyteratus, dummodo habeat scientiam competentem, qua deseruire possit illi beneficio. *cap. sedulo. dist. 38. Alb. de Ferrar. in cap. 1. de celeb. miss. q. 27.*

2. Non præsumitur autem quis sciens nisi probetur. *c. si forte. iun. gl. v. scientia, de elect. in 6. Fel. in c. fin. de præsump. Menoch. de præsump. lib. 6. præsum. 91. nu. 18. Paris. de resig. lib. 10. q. 3. nu. 64. Gonz. sup. 8. Reg. Cæc. gl. 4. nu. 105. & sic de alijs qualitatibus extrinsecis, ut idoneitate ad aliquod agendum, ætate quoque naturalibus; hæc enim etiam in dubio non præsumuntur nisi probentur. Abb. in c. cum in iurc. num. 2. de elect. tanto magis si idoneitas requiratur à lege, tunc enim non præsumitur, sed est probanda etiam in persona omni exceptione maiori. Alex. conf. 44. num. 2. vol. 4. Dec. conf. 3. col. 4. Alciat. de præsumpt. Reg. 3. præsump. 3. Mascard. de probat. conclus. 878. licet alix idoneitates intrinsecæ, in dubio præsumantur inesse, ut in dubio præsumitur quis sobrius, iustus, & similis. Felin. lo. cit. & DD. cit. locis cit. Lambert. de iurep. p. 1. lib. 1. art. 2. q. 10. num. 4.*

3. Non debet item ordinari qui in ordinibus male susceptis, vel nondum susceptis ministrarunt. *cap. 1. & 2. de Cler. non ord. ministr.* si nimirum ministrauerit quis solemniter, & in acta proprie & specialiter illi ordini deputato: alias enim si ministerium aliquod fecerit, non tanquam in illo ordine constitutus, sed quia ministerium illud in alio minori ordine, vel etiam per laicum exerceri consuevit, non cadit sub hanc prohibitionem, ut cum Subdiaconus Euangelium cætat sine manipulo in defectu Diaconi, vel ministrat quis ad altare, tanquam nudus mi-

nister, talis enim non efficitur propter irregularitatem. *Angel. v. irregularitas. nu. 38. Quarant. v. ordo. limit. 2. super extrauag. Py II.*

4. Titulum seu beneficium Ecclesiasticum sufficiens ad sustentationem non habentes, ordinari quoque prohibetur. *cit. Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. de ref.* Quam autem poenam incurrat faciens se ordinari sine titulo vel prouisione sufficienti, controuersum est. nam quidam volunt talem incurrere suspensionem ipso facto. *authoritate. tex. cap. neminem. cap. sanctorum. 70. dist. quæ iura licet fuerint correctæ per cap. cum secundum. de præb. ut notat. gl. fin. in c. non liceat. ib. de præb. tamen per Conc. Trid. lo. cit. dicunt fuisse iterum renouata; indistinctè. cum Conc. loquatur de iuribus antiquis. ita Maiol. de irreg. lib. 4. cap. 15. Burgas. de irreg. tit. de dispens. p. 1. quest. 5. num. 24. Nau. cor. f. 1. de const. quest. 16. in fine. Non tamen constat de huiusmodi mente. Conc. cit. imò Sacram. Cong. interpretum eiusdem. Conc. declarasse quod concilium. lo. cit. solum. cit. cap. cum secundum. & non alios canones innouauerit, testatur Henriquez in sum. lib. 13. de excom. cap. 37. Toller. in sum. lib. 1. cap. 48. Paris. de resig. lib. 2. quest. 6. num. 18. Gonzal. super 8. Reg. Canc. gl. 5. §. 10. num. 24. Quæ declaratio uideretur magis conuenire iuri communi, cum de iure in poenalibus benignior interpretatio sit tenenda. *cap. odia. c. in obscuris. cap. in poenis de reg. iur. in 6. gl. communiter recepta in Clem. 2. v. in eis. de arat. & qual. Achil. de Graf. decis. 161. alias 2. de confessis. Mohed. decis. 329. alias 1. de sequestr. poss. & legum interpretatione poenæ molliendæ sunt non augendæ. l. interpretatione. ff. de poenis. Bald. in l. cum proponas. C. de hered. inst. Vnde potius tenendum est non incurrere ipso facto suspensionem ordinatum sine prouisione**

- sufficienti, sed quod ordinator teneatur ei providere de beneficio iuxta dispositionem. *cap. Episcopus. & c. cum secundum. cit. de prab.* In tantum autem adheret ordinatori huiusmodi obligatio, ut etiam transeat ad successores ipsius, ita quod si ipse ordinator non providerit ordinato sine titulo, successores in Episcopatu providere tenebuntur. *tex. expressus. cit. cap. cum secundum. Abb. ib. nu. 9.* Et quidem obligatur ordinator ad huiusmodi provisionem, licet ipse non fuerit in culpa ordinando sine titulo, sed quia examinatores ab ipso deputati hoc non adverterint, tenetur enim ipse de facto suorum examinatorum. *c. ad hoc. iun. gl. v. examinantur de off. Archid. & casu quo examinatores ob eorum culpam tenerentur ad provisionem, si non essent solvendo, adhuc ordinato pateret recarsus ad ordinatorem. gl. cit. Abb. ib. nu. 2.* Si nimirum ordinatus accepit ordines bona fide ab ordinatore sciente vel scire debente illum non habere provisionem; alioquin si ipsemet fuit in culpa decipiendo ordinatorem, vel afferendo verisimilibus documentis se habere provisionem sufficientem, Episcopus non teneretur ipsi providere. *Dec. in cit. cap. Episcopus. nu. 24.* ne videlicet absque sua culpa puniatur Episcopus. *cap. cognoscetes. de const. & ne ordinatus ex culpa sua reportet commodum, fraus enim & dolus nemini debent patrocinari. cap. sedes Apost. in fin. de rescrip.* imò fraude tali promotus incurreret suspensionem ipso facto, nam quoad hunc casum per *cit. c. cum secundum* non fuisse reuocatos. *Can. neminem & Can. sanctorum.* tenet *Dec. post Ant. de Butr. in cap. non liceat. nu. 30. de prab.* in d. innouatos fuisse quo ad hoc dictos canones per Conc. Trid. vult *Nau. cons. 15. nu. 2 & cons. 46. nu. 3. de temp. ord. in anrig. Paris. lo. cit. licet Abb.*

*in cit. cap. non liceat. nu. 3.* teneat contrarium, & fuisse reuocata dicta iura etiam quo ad hunc casum ex rationibus per eum allatis, sed stante tali dubio tutius esset sic ordinato petere absolutio- nem à suspensione. *arg. tex. cap. si quis. in fin. dist. 7. de poenit. cap. ad audientiam. de homicid. cap. inuenis. iun. gl. v. dubia. de sponsal. alioquin ad minus suspendi posset ab Ordinatore, vel puniri etiam poena arbitraria. Gonz. lo. sup. cit. nu. 19.*

Similiter non teneretur Ordinator ad provisionem illi, quem ordinaret ad praesentationem alterius, sed praesentans deberet providere. *cap. cum secundum. cit. de prab. cap. si Episcopus. eodem tit. in 6.*

Si autem ordinaret accepta promissione ab ordinato de non petenda provisione, tam ordinans quam ordinatus incurreret suspensionem ipso iure, Ordinator quidem ab ordine suscepto, ordinatus vero à collatione ordinum. *c. penult. de Sim.* Similiter & praesentans aliquem ordinandum ad suam provisionem, accepto promisso de non petenda provisione, ipso facto incurreret suspensionem ab executione suorum ordinum, donec fuerit à Papa absolutus. *tex. loc. cit. de Sim. Innoc. Abb. ibid. Maiol. loc. cit. de irreg. nu. 2.*

Ampliatum autem dictum principale de non ordinandis non habentibus titulum, ut neque Regulares non professi sine titulo possint ordinari: quin imò isti maiore prohibitione ligantur, & contrauenientes incurrunt suspensionem ipso facto ex ordinatione Pij. V. ut sequitur.

Romanus Pontifex Sacrorum Conciliorum auctor & interpret, illa quae in huiusmodi Concilijs à prudentibus Patribus in Spiritu Sancto legitime congregatis

gatis salubriter sancita sunt, pro sui Pastoralis officij debito, dum aequitas, honestas & decus suadet, sicuti declarare & moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sanè cum non deceat Diuino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem questum exercere, Sac. Trid. Concilio inter alia decretum fuit ne quis deinceps Clericus secularis, quamuis alias moribus, scientia & etate esset idoneus, ad sacros ordines promoueretur nisi prius legitime constaret eum beneficium Ecclesiasticum quod sibi ad victum honestè sufficeret, pacificè possidere, vel alias ordinari non posset, nisi iuxta decreti ab ipso concilio desuper editi formam & tenorem.

Cum autem nulla in huiusmodi decreto Religiosorum Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (vix molestè accepimus) certorum ordinum Religiosi seu Canonici, vel Clerici, intra claustra monasteriorum seu domorum more regularium in communi viuentes, qui nunquam seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, & ex claustro exire vel dimitti, ad seculum redire liberè & licitè possunt, Religionis prætenu absque titulo sufficientis beneficii, nec iuxta dicti decreti tenorem ad sacros ordines se promoeri prætendunt, & à nonnullis Episcopi passim promoueantur, atque inde plerumque illud inconueniens eueniat, vt sic promoti & à claustro exeuntes & per seculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum questum exercere non sine ipsorum dedecore ac ordinis vilipendio, & quamplurimorum Christi fidelium scandalo cogantur. Nos igitur

qui singulorum Dei ministrorum honorem & decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus, motu proprio & ex certa nostra scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione decretum pradiatum, de Clericis secularibus loquens, ad omnes & singulos etiã cuiuscumq; ordinis Clericos religiosos, siue seculares more religiosorum viuentes in communi non professos, harum serie extendimus & ampliamus, ac religiosi & alijs pradiatis non profesis, vt ad sacros ordines promoueri, nec non omnibus & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis gratiam & communionem Sedis Apostolicae habentibus, vt ordines ipsos huiusmodi religiosi personis impendere nisi obseruata forma dicti decreti non valeant, in virtute sancta obedientia & sub indignationis nostrae poena interdiciamus & prohibemus, ac contrafacientes per annum à praestatione talium ordinum suspendimus. Statuentes & decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum pradiatarum ad ordines huiusmodi contra ipsius decreti Conc. Trid. formam etiam cuiusvis licentia illis ab Apostolica sede, vel illarum superioribus, cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, & praeminentia existant, etiam si Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore praefulgeant, concessa prætenu factas, executione pradiatorum ordinum omnino carere, nullasq; prorsus & irritas existere, sicq; promotas personas in altari ministrare non posse. Quinimò ministrantes, priuilegijs & exemptionibus, immunitatibus & alijs gra-

10. *rys Clericis concessis, omnino priuari & irregularitatis aliasq; in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, à quibus nisi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo minimè absolui possint. Non obstantibus, &c. Datum Roma. prid. Id. Octob. Anno 1568. Pont. anno 3.*

*Ca. Glorierius.*

*H. Cumin.*

Nomine autem religiosorum professorum comprehenduntur etiam Patres Soc. Iesu, & iyerè sunt religiosi professi, licet tantum simplicia vota emiserint, & ordinari possunt, non obstante constitutione huiusmodi, vt declarauit Gregorius XIII. constit. sua incip. *Ascendente, de Anno 1584. 8. Kalend. Iun. & Greg. XIV. constit. incip. Ecclesia Catholica. an. 1591. Kal. Iulij.* verba autem constitutionis huius Gregorij XIV. quoad propositum sunt.

Quo vero ad reliqua qua in cõtrouersiam vocata erant, sic statuimus nomen Societatis Iesu, quo laudabilis hic ordo nascens à Sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse, ac Religiosos huiusmodi post emissa vota etsi simplicia, ad sacros etiam presbyteratus ordines iuxta summorū Pontificū cõcessionem promoueri posse, eisdem emissis huiusmodi votis ad quẽuis aliū ordinem mendicantiū vel non mēdicantiū (*Charitatisiū dūt axat excepto*) trāsire minimè licere; laicos vel alios non sacerdotes ad sacerdotium, vel eosdem aut qui sacerdotes sunt ad professionem, aut cuiusuis alterius gradus mutationem aspirare nõ debere; potestatem quoque à Societate dimittendi quosuis non professos ab hac Sede Apostolica sepius approbatam, eosq;

ab omni obligatione votorum iuxta constitutiones & diplomata huiusmodi emissorum, per dimissionem ipsam per quã vota prædicta cessant, liberandi tanquã rem magni momenti ad societatis puritatem & conseruationem retinendam omnino ratam, intactam, & illibatam esse volumus, &c.

Quod adnotare placuit, quia à plerisque harum constitutionum ignaris, hoc vacari in dubium consuevit.

Ampliatur item vt non possit quis promoueri ad beneficium manuale, vel vicariatum, seu seruitium alicuius Ecclesie temporale. *Maïol. de irreg. lib. 4. cap. 15. num. 4.* neque ad titulum Seminarij, nisi promoueat ad seruitiū perpetuum beneficij Seminario vniti vel ad seruitium seu vicariatum perpetuum alicuius Ecclesie. Vicariatus enim perpetuus habetur loco tituli. *Abb. in cap. Michael de fil. presb. Maïol. loc. cit. num. 2. Paris. loc. cit. de resig. lib. 2. quasi. 6. num. 33.* Quod autem Quaran. in *sum. Bull. v. ordo.* refert rescriptum Sixtus V. ad Patriarch. Venet. de ordinando ad seruitia simplicia Ecclesiarum, illud fuit indultum speciale ciuitati Venet. & ideo prætermittendum putauimus cum alijs inferuire non possit.

Ampliari adhuc potest vt sic ordinatus beneficium seu titulum ad quem fuit ordinatus dimittere non possit, nisi habita alia sufficenti prouisione. *Conc. Trid. loc. cit. sess. 21. c. 2. de ref. Nau. cit. conf. 14. nu. 2. de temp. ord.* hocq; communiter teneri testatur *Paris. loc. cit. num. 35.* Vnde & resignatio talis beneficij non facta mentione quod ad illud fuerit promotus resignans, esset omnino nulla, & resignanti competeret actio spoliij. vt fuisse declaratum à sac. Cong. Conc. & decisum in *Rota coram Millino.*

19. No-

19. Nouemb. 1602. in vna Arctin. testatur Gonz. cit. gl. 5. S. lo. num. 35. hocq; idem resolutum fuisse in eadem Rot. coram Orano. mensē Maij. 1588. in vna Salamantin. & in alia Ispalen. coram Platta. 17. Iunij. eo. anno testatur Paris. loc. cit. num. 39.

13. Limitatur autē idem dictum primo, vt non procedat instante necessitate vel vtilitate Ecclesie, nam tum licet ordinandus non habeat titulum seu beneficium, promoueri tamen potest arbitrio Episcopi ad pensionem vel patrimonium, si illud habuerit sufficiens. *cap. Episcopus. iun. gl. v. subsidium. c. tuis. iun. gl. v. de patrimonialibus. de preb. Conc. Trid. loc. cit.* nomine autem patrimonij intelligi possunt quæuis facultates, siue ex patrimonio siue ex industria propria, siue ex donatione alicuius quæsitæ, dummodo ex illis possit Ordinatus habere alimentata, hoc enim solum attenditur. *Dec. in cit. cap. Episcopus. nu. 6. de preb. Nau. cit. cons. 13. num. 1. de temp. ord. Paris. lo. cit. num. 9. & seq.* Et patrimonium seu facultates huiusmodi postmodum renunciari non possent, nisi habita alia prouisione sufficienti, quemadmodum & de titulo beneficij diximus. *Conc. lo. cit. Abb.*

in cit. cap. tuis. num. 8. de preb. Dec. lo. cit. num. 20. vbi deducit talia bona gaudere immunitate Ecclesiastica. Quod autem patrimonium seu facultates debeant dici sufficientes ad sustentationem, remanet iudicis ordinatoris arbitrio. *arg. l. 1. ff. de iur. delib.*

Limitatur secundo: vt non procedat in minoribus ordinibus, isti enim conferri possunt non habenti titulum. *Hoff. in sum. à num. 6. S. & qualiter. vers. puro verius. Paris. lo. cit. num. 4.* vbi dicit hoc esse receptum communi praxi.

Limitat etiam Gonz. lo. sup. cit. gl. 4. num. 36. quo ad personam graduatam & literatam, vt possit promoueri absque titulo, quia nimirum tali non sit defutura decens sustentatio, hocq; respondisse dicit Salamanticen. & Compluten. Academijs. Sed hæc doctrina contrariatur apertè. *Conc. Trid. lo. cit.* quod expressè de huiusmodi quoque personis qualificatis disponit illis verbis (quamuis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate) praxiq; communi non seruatur dicta sententia Gonzalez.

## ARTICVLVS VIII.

### Quomodo sint ordines conferendi.

1. Episcopus non potest conferre ordines in Diocesi aliena.
2. Ordines conferri non possunt extra tempora à iure statuta.
3. Soc. Iesu patres ordinari possunt extra tempora à iure statuta.
4. Ordinari nemo debet sine examine præuio, & quis sit examinandi modus.
5. Ordinationis plura requisita.
6. Ordinator & ordinatus qualem debeant habere intentionem circa collationem ordinis.
7. Ordine in conferendo que instrumenta materialia tradantur, & an de necessitate tradi debeant.

Præ-